

A.A. Pronotum latitudine basali paullulum (circiter $\frac{1}{6}$) brevius, lateribus latissime sinuatis, disco solum linea media longitudinali per caput et scutellum producta fusca vel ferruginea, limbo vel fascia basali angulisque basalibus nigro-fuscis, callis medium disci subattingentibus. Hemelytra hyalina, cuneo plerumque saepeque etiam limbo exteriori corii testaceis vel ferrugineis. Vertex linea longitudinali media distincte impressa, frons utrinque linea aream antenniferam terminante distincte impressa.

a. Pronotum strictura apicali articulo primo antennarum angustiore, haud strigosa, utrinque lineis duabus fuscis in callos nonnihil productis, callis haud cicatriculosis, disco postico obsoletius minus profunde et minus regulariter striguloso. Long. 7 mm.

pellucidus (Stål).

aa. Pronotum strictura apicali articulo primo antennarum aequae lato, distincte transversim strigoso, magis minusve nigricante, saepe etiam limbis lateralibus nigricantibus vel fusco-ferrugineis, callis distincte ferrugineo-cicatriculosis, disco postico transversim fortius regulariter dense strigato, strigis totis integris. Long. 8 mm.

rama (Kirk) ¹⁾.

Sidnia nov. gen.

Corpus ovale, superne laeve, opacum, aureo-pubescentis; capite fortiter nutante, basi pronoti saltem duplo angustiore, ab antico viso latitudini cum oculis fere aequae longo, a latere viso altitudini basali longitudine aequali, vertice immarginato, sulco longitudinali destituto, fronte convexa, clypeo fortiter prominente, basi a fronte discreto, ipsa basi paullo supra medium altitudinis capitis a latere visi posita, angulo faciali subrecto, genis sat humilibus, gula horizontali, peristomio aequae longa; oculis exsertis, sublaevibus; rostro apicem

¹⁾ Hanc speciem jam Kirkaldy, Journ. Bombay Nat. Hist. Soc., XIV, p. 58, ut speciem hujus generis rectissime enumeravit.